

cipium ad quod reducatur ille defectus dictaminis, quo in primo instanti moveatur, respondetur quod admissio vel dato quod ita possit Angelus jam existens loqui ad Angelum qui de novo producitur in eodem instanti in quo creatur, tamen hoc non sufficit ad formandum dictamen illud, quia Angelus vel quicumque exterius proponens, et repræsentans alteri objectum, non sufficit formare dictamen intra intellectum audientis, sed ipse audiens formare debet ex his quæ sibi proponuntur ab alio, unde qui loquitur alteri, et vult illi persuadere atque ejus dictamen formare, debet supponere quod ille cui loquitur non solum sit existens, sed ita existens quod possit se movere, et applicare ad ea quæ audit ab alio, ut ex illis formet dictamen, quia ille qui loquitur, seu proponit, et moraliter movet audientem ad formandum dictamen, non aliter concurrat quam proponendo objectum quasi materiam, quam alter intelligat, et intelligendo formet sibi dictamen, sed effectiva formatio, et applicatio interior debet esse ab ipso audiente, vel a Deo qui operatur intra ipsum. Unde parum interest quod Angelus qui nunc creatur videat dictamina, seu cogitationes aliorum Angelorum sive bonas, sive malas, nisi ipse intus se movere possit, et applicare ex his quæ intelligit ad formandum illud dictamen, sed illa applicatio debet venire ab extrinseco principio, quia est primus actus, nec supponit alium priorem quo se moveat, et applicet. Unde oportet quod reducatur illa applicatio, et motio formandi dictamen ad ipsum Deum, qui in illo primo instanti solus potest movere intus intellectum, et voluntatem Angeli. Et licet moveat ad intelligendum ea quæ ab aliis proponuntur sive sint bona, sive mala, sicut in eodem primo instan-

ti Angeli inferiores illuminabantur a superioribus, et ad illos convertentur ex motione Dei: sed tamen intelligere, et cognoscere mala quæ alter proponit nondum est malum, sed ita illa accipere ut conformet se illis, et juxta illud malum quod sibi proponitur velit operari. Ad hoc autem non sufficit propositio mala alterius, ejusque cognitio, sed requiritur defectuosa applicatio audientis, qua se applicet ad consentiendum illi malo, et ad formandum dictamen conforme illi. Quod si ipse audiens non possit se movere pro illo instanti, et formare sibi dictamen, sed ab alio debeat formari, et moveri, ille alius defectuose se habebit, si applicet audientem ad formandum illud dictamen defectuosum. Unde non sufficit in primo illo instanti habere aliquem suggerentem sibi malum dictamen, ut in illum tamquam in principium totaliter reducatur pravitas illa, et malitia, sed oportet id reduci in aliud principium, scilicet in illud a quo effective formare debet tale dictamen, et moveri, seu applicari ad illud. Et cum hoc principium effectivum sic movens, et applicans non possit esse ipse Angelus, qui in illo instanti creatur, et qui audit illam suggestionem, quia non potest se movere in primo actu, sed solus Deus possit in illo primo actu movere, et applicare, inde fit quod talis suggestio mali Angeli non possit aliquid tunc operari, nisi ipse Deus, qui solus in illo actu movet, et applicat cor Angeli, conformiter ad ipsam malam suggestionem applicet ad formandum dictamen pravum quod esset refundere defectum in ipsum Deum. Quod cum stare non possit, efficaciter probat D. Thomas quod non possit in illo primo actu Angelus peccare, ex eo quod non datur tunc aliquod principium a quo moveatur defectuose, et applicetur ad forman-

dum dictamen pravum, nisi refundatur defectus in Deum, qui solus in illo primo actu movere potest. Neque reducitur ad specialem manutentionem Dei, quæ in illo primo instanti sit indebita, sed ad puram, et meram impossibilitatem alterius proxime, et immediate moventis ad formandum dictamen, nisi solus Deus.

XXIII. Ad id quod ultimo additur, quod bene potest operatio generantis impediri ab alio extrinseco agente, ut in exemplis allatis apparet, respondeo posse quidem impediri, quando operatio illa dependet ab aliquo exteriori, vel quando agens extrinsecum potest per se immutare ipsam rem quæ generatur, et a statu naturali divertere. Si autem agens extrinsecum non sit tale quod possit intus immutare ipsum genitum ad operandum, sed solum extrinsece proponere, et allicere ut se immutet, sicut est in intellectu, et voluntate, tunc non poterit Angelus per suggestionem externam immutare alterius Angeli intellectum in ipso primo instanti, et prima operatione sua, quia nec ipse Angelus suggerens potest intra ipsum intellectum alterius operari efficienter, nec illa cui suggeritur pro illo primo instanti potest seipsum movere, et applicare ad formandum dictamen; si autem devolvatur ad Deum, ut ipse immutet, et formet dictamen in mente Angeli quem producit, tunc certum est quod Deus potest illud imprimere intra intellectum Angeli producti, sed eodem modo certum est quod non potest defectuose applicare, neque movere ad formandum defectuosum dictamen; et sic neque juxta alterius suggestionem pravam ad illud concurrere. Quare illa prima operatio intellectualis creaturæ in primo suæ creationis instanti ita est immediate a Deo, ut a generante, quod non potest ab alio

creato agente extrinsecus impediri propter rationem atlatam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIV. Primo arguitur ex auctoritate D. Thomæ, quia si implicaret contradictionem quod Angelus in primo instanti peccaret, universaliter id esset verum pro omni eventu, et in omni casu, si quidem id fundamus in hoc quod sit prima operatio, et primum instans, in quo non potest moveri nisi a Deo. At D. Thomas non pro omni casu ponit Angelum non posse peccare in primo instanti: ergo id non est implicatorium. Minor probatur: nam in primis in quæstione xvi de malo, artic. iv docet, ideo: « Angelum non peccasse in primo instanti, quia in primo instanti suæ creationis oportuit quod converteretur ad naturalem sui cognitionem secundum quam non potuit peccare, postmodum autem in id quod est supra naturam, vel ab eo averti. » Ergo in casu quo in primo instanti converteretur, non solum in sui naturalem cognitionem, sed etiam in supernaturalem, potuit peccare. Constat autem ex eodem D. Thomæ, quod in primo instanti meruit Angelus beatitudinem supernaturalem, et motus fuit supernaturaliter per gratiam, cum receperit gratiæ sanctificationem in illo primo instanti per propriam dispositionem, ut adultus, non ut parvulus, sicut constat ex ipso D. Thoma in hac quæstione lxiii, artic. vi, et supra quæst. lxii, art. v, et iii part. quæst. xxxiv, art. iii. Item quod aliqua natura in primo instanti mereatur, et non peccet, verificatur solum si natura sit integra, non vero si sit corrupta, ut patet loco citato ex tertia parte, quæst. xxxiv, art. iii ad 1, ubi inquit: « Et ideo liberum arbitrium

creaturæ in primo instanti creationis potest moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, si tamen natura sit integra.» Ergo a contrario si natura non sit integra, sicut in nobis, non repugnat quod in primo instanti moveatur ad peccatum. Et sic ratio illa quæ totum fundamentum ponit in hoc quod non potest peccare Angelus ratione primi instantis, et quia prima operatio est, non tenet; sed instatur in prima operatione naturæ non integræ.

Unde confirmatur argumentum, quia homines quando perveniunt ad usum rationis, in illo primo instanti possunt non converti ad Deum, et peccare ut concedit S. Thomas, et communiter ejus discipuli 1-2, quæst. LXXXIX, art. VI, ponentes quod in illo instanti quo incipit operatio, potest esse peccatum originale cum morali, sed non cum veniali: ergo sentit quod in primo instanti peccare potest: ergo ex eo præcise quod primum instans, et prima operatio Angeli est, non convincitur quod non possit peccare, ut patet in homine.

XXV. Respondetur negando minorem. Ad primam probationem dicitur, quod D. Thomas non fuit sollicitus in omnibus locis tradere omnes rationes quæ probant Angelum non posse peccare in primo instanti, sed aliam tradidit in II sent. dist. III, aliam in quæstione de malo citata, aliam in hac prima parte, q. LXIII, a. v, et ista ultima universalior est, et complectitur omnem casum pro omni opinione, id est, sive Angelus in primo instanti habuerit actum supernaturalem, sive tantum naturalem, ut aliqui dixerunt. Et ideo ista ratio ultima est efficacior, et universalior, nec negatur a D. Thoma in aliis locis, ubi alias rationes tradit. Et istam rationem quam tradit in quæstione XVI

de malo, si intelligatur in tanto rigore quod in primo instanti non habuerit Angelus actum supernaturalem, sed naturalem tantum, constat emendatam esse quoad hoc in hac prima parte ubi aperte docet Angelum creatum in gratia meruisse in primo instanti beatitudinem, ut patet in hac quæstione LXIII, art. v ad III, et art. VI, et supra q. LXII, art. v, et quod non meruit nisi per conversionem charitatis, quæ est per gratiam, docet ibidem art. IV et res est certa. Quare in hoc emendata est illa ratio. Et ideo licet ibi tradita fuerit ratio cur Angelus non peccaverit in primo instanti pro uno casu tantum, scilicet si tunc non habuit conversionem nisi naturalem, tamen in hoc loco primæ partis tradita est universalior ratio, etiam pro casu quo habuerit supernaturalem motum in illo primo instanti.

XXVI. Ad secundam probationem ex loco tertiæ partis, respondetur in primis constructionem litteræ magis legitimam sic esse faciendam, quod liberum arbitrium creaturæ potest in primo instanti creationis moveri ad bonum merendo, si tamen natura sit integra, non autem ad malum peccando, ita quod illa conditionalis: Si natura sit integra solum cadat, et construatur cum illa particula potest moveri merendo, non autem cum illa et non ad malum peccando, sed illa clausula non autem ad malum peccando censeatur imposita quasi per parenthesis, et illa conditionalis: Si natura sit integra, referatur ad posse mereri, quia revera ut possit mereri in primo instanti, oportet quod natura sit integra: si enim per peccatum sit vitata, non poterit tunc mereri. Si vero quis non acquiescat isti constructioni litteræ, quæ satis legitima apparet, sed con-

tendat etiam illam conditionalem cadere super illam particulam et non ad malum peccando, ita quod ad utrumque, scilicet ad merendum, et ad non peccandum requiratur quod natura sit integra, si vero sit corrupta, quod peccare possit; tunc dicendum est quod natura vitata per peccatum, seu non integra potest peccare in primo instanti creationis, non simpliciter quando physice creatur in esse, sed quando moraliter, id est, quando venit ad usum rationis, et ante præcessit in esse, sicut modo homines, in quibus, ut statim dicemus, probabilius est posse in illo primo instanti usus rationis peccare. Quod locum non habet in Angelis, in quibus natura non potest esse vitata in primo instanti suæ creationis physicæ, quod etiam est instans usus rationis eorum, quia vitium vel est originale, vel actuale: originale in Angelis esse non potest, cum non propagentur, et contingantur sub aliquo capite peccatore a quo descendant, sed a solo Deo fiant immediate. Actuale vero, si datur in primo instanti, non supponit naturam vitatam, sed ejus integritatem destruit, et primo tunc peccat, et hoc dicit D. Thomas impossibile. Quare naturam non esse integram, sed vitatam solum contingere potest in nobis, in quibus quia usus rationis non est operatio, quæ nascitur cum anima quando creatur, sed longe tempore postea advenit, potest invenire naturam diversimode dispositam, et actualitatem, ut movere se posset in illo primo instanti ex præacceptis cognitionibus imperfectis disponentibus ad usum rationis, ut mox dicemus. Ratio ergo D. Thomæ quam ponit in hoc articulo quinto, solum procedit de operatione, quæ simul est cum ipsa inceptio essendi; natura autem quæ operatur cum pri-

mo esse rei, non supponitur vitata, sed integra, et difficultas est an vitietur per primum illum actum peccando. D. Thomas autem affirmat quod illa natura meretur, et non peccat in primo instanti, quæ cum ipsa inceptio essendi operatur; atque adeo si est integra; si vero fuerit non integra, sed vitata, ut contingit in nobis, nihil ibi determinat, sed disputationi permittit, de quo jam dicemus.

XXVII. Ad confirmationem respondetur, quod resolutorie loquendo videtur mihi cum Cajetano 1-2, quæst. LXXXIX, art. VI, in calce commentarii, quod perveniens ad usum rationis potest ex mala consuetudine ante actus discretionis moveri magis ad delectabilia mala, quam ad bonum honestum quod sibi tunc proponitur, et præsertim quia illud bonum honestum valde debiliter, et confuse tunc proponitur, delectabilia vero sensus valde efficaciter. Et ideo, ut ibi bene notat Cajetanus non parvi refert quod assuescat puer ad audienda spiritualia, et honesta.

Ratio vero hujus, et simul disparitas inter Angelum in primo instanti creationis, et puero in primo instanti usus rationis est, quia Angelus non habet aliam operationem quam intellectivam, eamque perfectam, nec habet paulatim disponi ab imperfecto ad perfectum ut veniat ad usum rationis, sed statim a principio perfectum judicium, et intelligentiam habet. Unde ad ipsum primum actum nihil actualitatis supponit, quo primum se excitet, et se moveat intra se, sed debet ab exteriori principio id provenire, scilicet a Deo, qui solus potest applicare mentem, et formare illud dictamen. At vero homo ex sensibus accipit, et disponitur ad excitandum se præcognitione intellectiva, et in hac paulatim procedit, ita ut

primo intelligat confuse, et non cum discretionem, et sufficienti dictamine ad libere se movendum, sed tamen saltem imperfecte intelligit, et se disponit ut crescente majore claritate, et apertione sensuum tandem prorumpat in actum liberum, et deliberatum se movendo. Et quia Deus movet creaturas intellectuales juxta earum modum, et exigentiam, inde fit quod pro primo actu, qui est primus simpliciter, ipse solus moveat, quia non est aliud agens a quo actuetur intellectus, ut format sibi dictamen, sed tunc ille actus in nobis est valde imperfectus, et nondum ad libertatem sufficiens. Quando vero format dictamen secundum usum rationis, et discretionis, tunc jam habet, et præsupponit in se dispositiones ante usum rationis acquisitas, et motiones in se factas, quibus actuatus potest in liberum dictamen prorumpere. Et quia illæ motiones possunt esse malæ, potest juxta illas formari dictamen, nec Deus tenetur illud avertere, quia jam non solus operatur illud, sed juxta causæ creatæ dispositionem.

XXVIII. Dices: Ergo etiam in cuiusque negotii inceptio non incipit Deus movere, sed possumus ex nobis incipere determinari. Et si ita est, ad quid tam anxie ponimus prædeterminationem Dei pro omnibus actibus?

Respondetur quod inceptio alicujus negotii vel est nova inceptio simpliciter, ut quando aliquis incipit de novo cogitare de his, de quibus ante nihil sciebat, sicut in supernaturalibus incipit totum negotium salutis ab excitante gratia Dei, ut definit Concilium Tridentinum sess. vi, c. v. Et in hoc genere incipit Deus movere, et applicare per excitationem mentis, et manifestationem sui, juxta illud Isai. lxxv, et Roman. x: *Inventus sum a non quæ-*

rentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. Similiter in aliquibus quæ fortuito, et casu accidunt, seu inopinato nobis eveniunt, etiamsi alias cogitemus de re aliqua, tamen illa inopinata manifestatio est a causa superiori ut a Deo, sicut cum dicitur i Macchab. iv, de Juda: *Et cogitavit de altari holocaustorum quod profanatum erat quid de eo faceret: et incidit illis bonum consilium, etc.* Ubi illa incidentia consilii non fuit in vi cogitationis prioris, sed aliquid non præmeditatum tunc primo accepit. Vel inceptio alicujus negotii non est simpliciter nova, sed paulatim disponitur ex aliquibus præmeditatis, aut ex aliis notitiis præcedentibus, ut in aliquid novum modo erumpat. Quando fit hoc secundo modo, clarum est quod ipse homo potest toties de novo incipere, et determinare se, quoties de re illa incipit cogitare, etiamsi interrumpat, et dormiat, quia operatur in virtute præcedentium notitiarum. At vero primo modo semper illa prima excitatio incipit a causa superiori, si sit in bonum per excitationem Dei intus operantis in intellectu, et voluntate, et extrinsecus ponentis, vel per se, vel etiam ministerio Angelorum, quia ex parte propositionis objecti utitur Deus ministerio Angelorum, etiam in ordine gratiæ, et fidei, quia per eos illuminat homines, ut S. Thomas docet infra quæstione cxi, artic. i ad xi, sicut etiam ad exteriorem credibilium propositionem utitur ministerio prædicatorum, et ministrorum. Si vero sit incitatio in malum, incipit per suggestionem spiritus mali, qui tamen intus intra intellectum, et voluntatem non operatur, nec format ipsum dictamen, sed proponit ut homo sibi format. Et potest homo tunc formare, et se movere, quia intellectus ejus non est in pura po-

tentia, nec operatur tunc primum actum simpliciter, sed ex aliquibus actibus præcedentibus, qui virtute manent in homine, est in actu ut se moveat ad formandum dictamen de his quæ sibi suggeruntur. Quod non posset facere in primo actu, quando est primus simpliciter, quia non supponit aliquid prius, neque actu, neque virtute, in vi cuius moveat se. Et in hujus signum constat quod diabolus quando tentat, et suggerit, semper representat aliqua juxta ea quæ aliquando sensimus, vel experti sumus, licet ab ipso vivacius exprimantur, de his vero quorum notitiam nunquam habuimus, vix potest suggerere, et tentare, sicut cæco natum non potest tentare de coloribus. Et hoc ideo, quia solum proponit objecta, ut nos formemus dictamen, quod tamen formare non possumus, nec ad illud nos applicare, nisi in vi alicujus actus præteriti. Deus autem potest etiam de his quæ nunquam novimus infundere nobis speciem, et lumen, et excitationem, quamvis etiam aliquando sic proponat ut relinquat nos formare dictamen. Semper tamen intus operatur intra intellectum, et voluntatem, respectu bonorum quoad entitatem et bonitatem, respectu malorum quoad entitatem tantum, non quoad malitiam. Et respectu hujus entitativi influxus ponitur illa prædeterminatio: semper enim omnis causa physice subordinatur influxui Dei in quocumque actu, sed non semper excitationem, et formationem dictaminis ipse solus operatur.

XXIX. Secundo arguitur: Angelus in primo instanti operatur libere, si quidem potest mereri, et illa potentia libera est defectibilis ab intrinseco, et tunc non est impedita neque physice, neque moraliter: ergo potest peccare. Antece-

dens de libertate meriti, D. Thomas, et nos fatemur: de defectibilitate intrinseca, et physica etiam constat, quia eadem entitas, et potentia physica voluntatis est in primo instanti, et in sequenti, eadem etiam radix peccati, et defectibilitatis, scilicet quod sit ex nihilo. Ex parte etiam moralis motionis non est impedita tunc ad peccandum, quia tunc proponitur objectum cum indifferentia, et cum cognitione hujus, et oppositi: ergo non est impedita moraliter ad peccandum, quia impedimentum si daretur, esset coarctatio indifferentiæ ex parte objecti propositi: cum enim moralis motio teneat se ex parte objecti tunc impeditur moraliter voluntas, quando ex parte objecti non cum indifferentia movet, et tunc manet expedita cum ex parte indifferentiæ objectum movet: ergo si tunc movebatur cum indifferentia, non erat impedita libertas ad peccandum.

XXX. Sed dicas: Esse liberam voluntatem nunc, et non impeditam quoad libertatem contradictionis, et exercitii, scilicet ad velle, et non velle, bene tamen quoad libertatem specificationis, et contrarietatis, quia in hoc est tunc necessitata voluntas: hæc enim libertas non est solum ad velle, et non velle, seu ad ipsum exercitium actus, sed ad objecta ipsa, scilicet ad bonum, vel ad malum, respectu autem mali, tunc caret libertate. Contra est primo, quia si tunc voluntas libera ad velle, et non velle, sed non velle est omittere: ergo est libera ad omittere: ergo si pro illo instanti ponatur sibi præceptum (ut de facto habuerunt) ut convertantur in Deum, si suspenderent actum, et non vellent, omitterent præceptum: ergo peccarent: ergo hoc ipso quod habent libertatem illam contradictionis, possunt habere et contrarie-